



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. Quinam habeant potestatem delegandi, aut subdelegandi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. II.

Quinam habeant potestatem delegandi, aut subdelegandi?

Delegandi potestatem regulariter habent omnes Magistratus ordinariam jurisdictionem habentes, prout sumitur ex *c. cum Episcopus 7. de off. jud. ord. in 6.* quod enim potest facere quis per se ipsum, hoc potest etiam per alium juxta *reg. 63. in 6.* non quidem quasi posset totum suum officium quilibet iudex, principe inferior, alteri committere, cum hoc non tam esset delegare, quam officio suo se abdicare, & transferre illud in alium, quod sine consensu Principis inferior non potest *l. penult. junct. gloss. V. abdicando. ff. de off. praesid.* sed quod speciales aliquas causas delegare possint. Subdelegare verò potest etiam partibus invitatis causam aliquam sibi delegatam, vel illius partem aliquam, absolute, vel sub certis limitationibus, quia a supremo Principe aliquo, majorem non recognoscente, delegatus est, *c. si pro debilitate 3. h. t. & c. cum causam 62. de appellat.* Ita ut si iusta causa aliqua, vel necessitas sub sit, & malitiosè delegatus se subducere non velit, subdelegandum, quamvis majoris dignitatis sit, cogere possit, delegatus supremi Principis, ad acceptandam subdelegationem, sub poenae pro proportione subdelegandi imponendae interminatione; uti habetur in *c. pastoralis 28 h. t.* quia in tali casu sicuti subdelegandus, cuiusvis per se auctoritatis sit, inferior est illo, cuius vices delegatus gerit, ita etiam delegato tali censetur esse inferior, qui superiorem delegantem repraesentat. Haec tamen de subdelegatione à delega-

to Principis facienda, intelligenda sunt nisi ad causam aliquam dijudicandam fuerit electa industria personae, ob causae alicujus arduitatem, aut literarum tenorem, vel consensum partium, prout colligitur ex *citato c. si pro debilitate & ex c. final. h. t. & ex c. is cui 12. eodem in 6.* vel nudum Ministerium, seu mera executio, & nulla jurisdictio illi commissae sit *c. fin. h. t. §. ceterum.*

§. III.

An & quare ratione subdelegare possit delegatus Papa, vel Principis, adjunctis ei aliis iudicibus delegatis, vel cum potestate subdelegandi alteri?

Potest Papa, vel Princeps supremus alius, delegatis jam constitutis, superaddere tertium, vel ex communi consensu partium, vel si consentire non possint, ex officio (cum illius sit, non tam partibus, quam causis & negotiis providere) quidam modo, subdelegare potest alteri, & pro diversitate clausulae adjectae, ut *vel solus, si alteruter conjudicum nolit, aut non possit, vel cum alterutro suorum conjudicum, procedas, solus ipse, vel cum alio conjudice causam cognoscere potest.* Quin imò, si simpliciter causa commissae sit duobus, sine alia clausula adjecta, potest unus ex illis suo condelegato suas etiam vices committere, sive subdelegare, ut habetur statutum in *c. quamvis 6. h. t.* qui tam suo, quam locij nomine, ut delegatus scilicet, & ut subdelegatus collegae sui iudicare, & sententiam, non quidem diversam, sed eandem pronuntiare potest. Sicuti tamen subdelegatum admittere non tenetur delegatus alter, si causa duobus cum